Audiebantur quoque plerumque convicia
quibus illum turba demonum pro
tervis vocibus increpabat Sed
omnia falsa et vana cognoscens
non movebatur obiectis Te
stabantur etiam aliqui ex
fratribus audisse se demone
protervis martinum vocibus
increpantem cur intra mo
nasterium aliquos ex fratribus qui
olim baptismum diversis erro
ribus perdidissent conversos
postea recepisset exponente
crimina singulorum Martinum
dyabulo repugnante respon
disse constanter antiqua de
licta melioris vite conversio
ne purgari et per misericor
diam domini absolvendos esse peccatis
qui peccare desineret Con
tra dicente dyabulo non
pertinere ad veniam crimino
sos et semel lapsis nullam
a domino praestari clementiam dici
in hac voce fertur exclamasse
martinus Si tu ipse o misera
bilis ab hominum insectacione
desisteres et te factorum tuorum
vel hoc tempore cum dies iudi
cii in proximo est peniteret
Ego tibi vere confisus in domino
Ihesu Christi misericordiam pollicerer
O quam sancta de domini pietate
presumptio in qua et si auctoritatem

praestare non potuit ostendit
affectum Et quia de diabolo eiusque
artibus sermo exortus est
Non abs re videtur licet extrinsecus
referre quod gestum est quia et que
dam in eo martini virtutum
porcio est et res digna mi
raculo recte memorie man
dabitur in exemplo cavendi
si quid deinceps usquam tale
contigerit Clarus quidam
nomine adolescens nobilissi
mus mox presbyter nunc
felici beatus excessu cum
relictis omnibus se ad martinum
contulisset brevi tempore ad
summum fidei virtutumque omnium cul
men emicuit Itaque cum haud
longe sibi ab episcopi monasterio
tabernaculum constituisset multique
apud eum fratres commorarentur
Iuvenis quidam ad eum anatholius
nomine sub professione monachi
verum humilitate atque innocen
tiam mentitus accessit habi
tavitque aliquamdiu in commune
cum ceteris Dein procedente
tempore angelos apud se loqui
solere dicebat Cum fidem
nullus adhiberet signis quibus
dam plerosque ad credendum co
hortabatur Postremo eo usque
processit ut inter se ac dominum